Amico carissimo s.

Schwappachium nosti: is nuper paene Turicum vocatus sed — o admirabilem Murneri sapientiam! — 4000 mc. nobis servatus est. quid? Foramen forestre iam non vacillat: hodie amicus noster optimus mihi dixit, illum pro Neandro omnem suam eloquentiam esse effusurum. rides? verum est, et si Foramen in sententia sua perseverabit, nos adversariis plures erimus. ipse Neander his diebus perniciosa febri nobis paene ereptus est, sed morbo restitit. — heri laeta societate coniuncti apud Riegelium multum cerevisiae bibimus, quam nomine hirci Monacensis Germani appellant. tum Roppium cerneres! quantum ille nebulo ebibit, exhausit, devoravit. — proximo die Iovis cum collegis Bonnensibus et Marburgensibus Limburgum — meministi qua occasione oblata nos ibi versati simus? — conveniemus, vesperi Roppius reversus cum aliis nebulonibus in aula Hassiaca comissari perget. utinam tu quoque interesses sollemni nostro conventui! — uxorem tuam suavissimam meo nomine etiam atque etiam salutabis. Vale!